

Conditore nimirum Deo, qui ea talia voluit esse. Sed e qua materia ea efformavit? E fluore nimirum, ex quo cœtera cuncta efformavit corpora. Nihil enim, aut mirum, aut impossibile est, in eodem corpore, et durum esse et molle, rarum, atque densum. Id in nobis ipsis cernimus, et in aliis innumerabilibus. Quid ergo cœlum compositum corpus est? Iam quæstio hæc, sepius renovata, etiam est soluta. Cœlum sideribus interpositum, simplex corpus est. Si cum sideribus computetur, corpus est compositum. At sidera ipsa, simplicia ne sunt, an composita? Composita triplici videntur ratione. Ex quatuor illis nostris, cunctorum corporum elementis, spacio, lumine, calore, fluore. Quibus cœlum etiam constat. Si solida sunt, composita videntur potius quam simplicia. Tertia ratione, fulgorum in eis varietas, non uniusmodi ea, materia constare, arguere videtur. Sed hoc non arguit singula ex pluribus constare materiebus, sed omnia simul, ex pluribus. Vel neque hoc ipsum, ex pluribus constare ea materiebus tam arguit, quam ex una varie temperata. Singulaque sua temperie propria, propriam quoque acquisivisse lucem. At utrum horum, probabilius fuerit, certi nihil pronuciari potest, nisi prius quæstio absolvatur, an dura, densa, ac solida sint astra, et anthraces, an econtra, mollis sint flamma. An etiam mollior sint lux. In hanc disquisitionem toto incumbamus pectore. Idque monitu Aristotelico, similia in astris venantes iis, qui apud nos fieri conspiciamus. Igitur si dicamus, astra esse anthracas, inepta ea faciemus ad motum, imo immobilia ea statuemus. Anthraces enim apud nos in foco, prorsus stant immobiles. At astra, motus et quidem citatissimi, speciem nobis quotidie præbent, dum ab ortu in occasum supero hæmisphærio, et ab occasu in ortum infero, incredibili spacio transcurso, redeunt XXIII horis tantum in eo immorata. Quod Astronomorum, aut philosophorum, aut etiam e vulgo hominum nullus aut negat, aut non contendit. Trium apud nos ignium, secundus, flamma ipsa in motum semper fertur, etiam minima, velocius ascendit maior, velocissime maxima, uti quæ maiores in se habeat vires, et eas in actionem efferat citissime. Ex similibus his apud nos effectis, argumentari licet, sidera esse flammæ, et non anthracas. Sed et simili alio, atque alio, id ipsum confirmari potest. Flamma namque hæc nostras, etiamsi dum prope sumus, sursum tendere videamus: a longe tamen si cernatur, et radiationem illam stellis propriam, et rotunditatem repræsentat. Quam rem cum Astronomi non considerassent, a Luna quæ rotunda visitur figura, sunt argumentati, stellas omnes esse rotundas. Rotundas quidem esse posse, non negamus. Nam et cometæ ipso corpore rotundi visuntur. Et nos anno 1577. Mutinæ, non admodum a terra procul in sublimi, ardentem globum noctu spectavimus, hac et illæ modo cito, modo tarde, per æra discurrentem, ascendentem, descendentem, et transuersim aliquando sese ferentem. Qui quidem in duos globos primum est divisus, minor quasi a maiore, partus. Ac minor semel est extinctus, et non diu post reaccensus, cursu deinde in septentrionem citato, ambo evanuerunt. Neque tamen unquam duarum horarum, quibus arserunt spacio, vel comam, vel caudam, vel barbam promiserunt, aut in longum sunt extensi. Nihil ergo obstat, sidera quoque tametsi flammæ sint, etiam rotundas esse. Sed Aristotelica ratio.

Διὸ καὶ εὐλόγον ἂν δόξειεν ὅτε ὅλος οὐρανὸς σφαιροειδῆς εἶναι, καὶ ἕκαστον τῶν ἀστῶν.
“Et ideo recta ratione, videatur, et totum cœlum esse sphæricum, et singula astra.”

Nullius est momenti. Nam et nodi in arboris ligno, aliquando sunt rotundi, aliquando ovals, alterius aliquando figuræ. Et claus in rotis, quæ rotunde sunt, et rotundi, et quadrangulares, et aliarum figurarum sunt multoties. Sed ad nostras sidereas revertamur flammæ. Astra flammæ si sunt, et si non rotundæ sint, etiamsi sursum tendant, nihil obstat, quin exemplo nostrarum, procul aliquanto spectatæ, et rotundæ appareant, et radiatæ. Nam et Sol, et rotundus visitur, et radiis circumdatus. Nostræ quidem flammæ sursum tendunt, non quia leves sint, quod Peripatus decantat. Sed quoniam a suo contrario fugiunt, terra scilicet, quæ eis etiam sese opponit. Et quia ad propria principia, sicuti res aliæ omnes, redire nituntur, et originem suam repetunt, et simile sibi appetunt. Principium autem nostrarum flammæ, ab astris et a Sole fuit, sicuti Ægyptius Vulcanus, ignis inventor primus, Diodoro narrante, est contestatus. Et